

**De febri puerperali : dissertation inauguralis medica ... / auctor Gustavus Boisserée.**

**Contributors**

Boisserée, Gustave.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nqpxkcjh>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

A.

DE  
**FEEBRI PUERPERALI.**

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

**CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

**UNIVERSITATE LITERARIA  
FRIDERICA GUILLEM A  
PRO SUMMIS**

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS**

RITE SIBI CONCILIANDIS

**DIE XVII. M. AUGUSTI A. MDCCXXXVI.**

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

**GUSTAVUS BOISSERÉE  
RHENANO - BORUSSUS.**

---

**OPPONENTIBUS:**

**RICHARD. HASENKLEVER, MED. ET CHIR. CAND.**

**BRUNONE KLAUS, MED. ET CHIR. CAND.**

**BERNARD. MARTZELLER, MED. ET CHIR. CAND.**

---

**BEROLINI,  
TYPIS NIETACKIANIS.**

X

и с

БАСЕНЬЕВСКИЕ РУССКИЕ

## ОТРАЖЕНИЯ

ВОСПОМИНАНИЯ

1899

ИЗДАТОРСКАЯ ТЕЧЕНИЕЮ  
ВОССТАНОВЛЕНИЕМ 1861 ГОДА

ИЗДАТОРСКАЯ ИЗДАНИЕ

# **DR. SULPIZIO BOISSEURÉE**

**CONSILIARIO REGIS BAVARICI IN REBUS SUPREMIS  
MINISTERII**

DR. G. WILHELM. HÖLZEL

GOETHE'S REISE IN ITALIEN  
NEC NON  
MINISTERI

222

MELCHIORI BOISSERÉE  
AVUNCULIS DILECTISSIMIS.

NOTOVA

HAS  
QUALESCUNQUE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

### §. I.

## SYMPTOMATOLOGIA.

**F**ebris puerperalis symptomata agnoscit prodroma, imprimis si epidemice grassatur; haecce symptomata partui aut antecedunt, aut eum comitantur, aut eum tempore plus minusve brevi insequuntur.

Symptomata prodroma partim psychica sunt, partim somatica. Coenaesthesia admodum alienata adparet, insolita animi hilaritas cum ejusdem dejectione alternat, qua symptoma pessimum & superabilis mortis instantis timor durante graviditate observatur.

Symptomatum somaticorum cohors functiones tubi intestinalis laesas concernit, quae inter appetitus prostratus, vomituritiones frequentes, vomitus ipse, sensatio pressionis in scrobiculo cordis, anxietas, dolores colici, diarrhoea denique referenda sunt.

Durante epidemia, in nosocomio Rouensi anno 1793 observata, dolores colici leves ac transitorii aliquot ante partum diebus intrantes morbum ipsum certissime adnuntiarunt, quamquam ex abdomine molli, parum tumido nil mali ominari potueris (1).

(1) Alphon. Leroy traité des pertes de sang p. 52. et seq.

Sub partu ipso uteri contractio vehemens et ad summum usque gradum intensa animadvertisit, nonnunquam reactio febrilis sese adsociat, cui brevi virium nimis intensarum exhaustio subsequit. Interdum uteri contractiones insufficientes ac inordinatae procedunt, imo spasmus summe dolorificum sibi adjungunt, interdum ejusdem torpor ad eum usque gradum increscit, ut haemorrhagiae periculosissimae superveniant ac partus ipse arte accelerari debeat.

In casibus rarioribus absque symptomatibus prodromis horripilatio, imo horror febrilis subsequitur calore intenso, siti inexplebili, cute arida ac dolore in abdomen acerbissimo sub partu statim in lucem prodeunt; physiognomia mirum in modum tunc alienata ac partus niars succurrat, in dies protrahitur.

Febris puerperalis exordium die tamen secundo et quinto post partum frequentissime observatum est.

Horror febrilis vehemens nō sibi scenam non raro aperit; nec tamen casus defuerunt, in quibus horripilatio levis ad singulas nonnisi corporis regiones, ex gr. crura, truncum restricta, ac intervallo aliquot horarum saepius repetita morbum inchoabat. Joh. Clarke (1) vero in epidemia ab ipso observata vix unquam morbum horrore incepisse monet. Calor frigori subsequus plerumque siccus ac urens est, sudore tamen prius seriusve eum excipiente aliquid mitigatur. Cephalaea in frontis regione vehementissima aegras persaepe excruciat, cui dolores in abdomen, in regione praeprimis umbilici, uteri, aut ovariorum sese adsociant. Dolores hi ad hypochondria ex-

(1) Gekrönte Preisschrift von Dr. H. C. Baudelocque übersetzt. v. Dr. Fr. Wilh. Fest. Potsdam 1832. p. 96.

tenduntur, ac nonnunquam tam leves sunt, ut cum doloribus post partum secundariis confundantur, ad quod typus eorum ab initio remittens multum contribuit; nonnunquam tamen adeo intensi sunt, ac tam cito increscunt, ut motu corporis vel minimo ac levissima abdominalis contractione immaniter augeantur. Decubitu hinc dorsali quietem, quam tamen non inveniunt, infelices sibi parare student aegrae. Abdomen insuper intumescit, durum ac tensum evadit. Percussio sonum ab initio clarum tympaniticum, serius exsudatione facta obtusum refert, fluctuatio eodem tempore percipitur. Physiognomia peculiarem animi dejectionem, imo desperationem exprimit. Pulsus plerumque parvus et contractus tangitur, frequentia ictus centum et triginta adtingit, imo superat. Respiratio aequa acceleratur ob inspirationes profundiores dolore abdominali cohabitans. Lingua sicca, muco obducta ac tam lata adparet, ut dentium impressiones ad ejus marginem offendantur, rarius in se quasi collapsa conspicitur. Alvus ab initio oppilata est, serius diarrhoeicaruit, lochii quantitate imminuuntur, imo omnino fluere cessant, qualitate ita alienantur ut mox serosa mox saniosa prospiciant, ac foetorem intolerabilem p[re]se ferant; interdum tamen nulla plane eorum anomalia animadvertiscitur. Ex uberibus collapsis flaccidis nullum plerumque lac secernitur, imo si secretio jam per aliquot dies rite processerat, sub morbi ingressu derepente supprimitur; lotium plerumque parcum turbidum, ac sero lactis simile reperitur. Cutis sicca pergamentacea, in extremitatibus maculis pallide rubris, quales erysipelati convenient, non raro notatur. Somnus aut plane deficit aut si tentatur somniis terrificis turbatur. Dolores in

abdomine admodum expanso ac tenso ad summum usque gradum evecti momento quasi cruciare cessant, quo facto vomitus vehemens materiam viridem aeruginosam efferens illico plerumque intrat, praeter sudores frigidos ac viscidos in fronte deliria blanda accedunt. Extremitates atque nasus frigus quasi marmoreum colorem coerulescentem excipiunt. Pulsus ob frequentiam et exilitatem numerari nequit.

Cuncta haec sunt indicia vitae in peripheria jam evanescientis.

Quodsi affectio in abdomen inflammatoria ad exiguum nonnisi peritonaei plagam restringitur, tunc morbi decursus multo mitior absolvitur. Febris minus valida typum magis continuo remittentem manifestat, tensio et intumescentia abdominis in gradu minori consistunt, dolores saepius remittunt, de die in diem mitiores evadunt, denique plane silent. Diarrhoea et vomitus, ni plane absint, nunquam vehementia urgent. Attamen ne in his quidem casibus exsudatio desiderabitur.

Nonnunquam abdomen post omnium fere symptomatum imminutionem denuo increvisse, ac fluctuationem summe manifestam retulisse, ac in regione umbilici insigniter ac circumscripte protensum, colorem rubrum serius coerulescentem induisse visum est; quo facto abscessus per umbilicum evacuatio brevi post plerumque contingebat.

Suppuratio admodum profusa febrem nec non mortem frequenter invitat. Rarius, coalitione et cicatrisatione abscessus inducta, vita conservatur (1).

---

(1) Double et nouvell. rechereh. sur la fièvre puerper. p. 328

Si peritonitis per longius tempus induraverit, ac favente therapia adaequata intensitatem amisit, tunc cuncta symptomata supra memorata pedetentim recedunt, excepto dolore obtuso, qui sub pressione aut trunci motu in una alterave abdominis parte percipitur. Hunc exitum evacuationis criticae plerumque comitantur: diarrhoea critica (Willis, White, Tissot,) aut sudores, critici (Delamotte), urina critica (Van Swieten, Doublet, Amard), salivatio (Puzos) et millaria (Gastellier, Planschon) (1). Dolores, qui in studio convalescentiae plerumque adhuc sentiuntur, ex tensione originem trahunt, quam intestina, ope lymphae plasticae conglutinata sub corporis motu hinc inde patiuntur. Nonnunquam tubae Falloplanae lympha in eorum cavo exsudata concrescunt atque sterilitatem hac ratione inducunt (2).

Febris puerperalis typum continuo remittentem plerumque manifestat. Attamen Osiander et Stein febrem puerperalem intermittentem sese observasse profitentur. Ast in casu ab Osiander communicato ovarium sinistrum suppuratione omnino fere destructum offendebatur; motus igitur febriles intermittentes febri suppuratoriae magis quam puerperali tribuendi esse mihi videntur, tanto magis, quam ille ipse auctor apyrexiam nunquam perfectam fuisse refert. Medicus Mediolanus Cerri epidemiam memorat, in qua typus hujusce febris semper intermitiens fuit (3).

Ejusmodi observationes etiam in lechodochio Pra-

(1) Baudelocque l. c. p. 103.

(2) Walter de morbis peritonaei p. 9. et sqq.

(3) Ozanam histoires des épidémies t. II.

gensi colliebantur, ubi annis 1833 et 35 haec febris endemice grassabatur (1).

### §. 2.

#### COMPLICATIONES.

Qua complicatio frequentissima phlogosis organorum cavi pectoris obvenit, uti pleuritis, pneumonitis, pericarditis (2). Diagnosis perdifficilis est, quum meteorismus, mammarum volumen adauctum, atque summa aegrarum sensilitas stethoscopii usum ni cohibeant, tamen multum restringant. Qua symptoma characteristicum harum complicationum Baudelocque (3) sensationem pressionis ac doloris obtusi in inferiore sterni regione commemorat.

Uteri inflammatio febrem puerperalem non tam frequenter comitatur ut vulgo creditur. »Dicendum mihi est, ait Walter, me inter tantum numerum foeminarum febri puerparum mortuarum, quarum corpora secui atque diligentissime perscrutatus sum, nunquam inflammationem uteri, ut causam hujusce morbi, invenisse. Causus vero, ubi artis obstetriciae imperiti atque indociles uterus dilaniarunt, dilancinarunt et lacerarunt, excipio et hic omnino inflammatio uteri aderat; sed hae infelices non febri puerparum mortuae erant.« Complicatio cum uteri putrescentia saepius obvenisse autores referrunt; ast diagnosis aeque difficilis est, quatenus velox

(1) Dissert. inaug. Joseph. Quadrat. Pragae. 1385.

(2) Elias v. Siebold Versuch d. pathologisch therapeutischen Darstellung des Kindbettfiebers. Frankfurt a. M. 1826. p. 31.

(3) Abhandlung über die Bauchfellentzündung der Wöchnerinnen; e. v. d. königlich. Societät d. Mediz. zu Bordeaux gekrönte Preisschrft. v. Dr. H. C. Baudelocque, aus dem Franz. v. Dr. Fr. Wilh. Fest. Potsdam 1832.

morbi decursus, dolores atrocissimi, per omne abdómen extensi, symptomata, quae pütrescentiae conveniunt, plus minusve obfuscant. Complicatio cum inflammatione membranarum synovialium articulorum ab Clarke, Stark et Boer notata est. »Quando, ait hic scriptor, febris initium ex phlogistico oedemate in quodam articulo duxit, aut tardius supervenit tumor, tunc eo post mortem inciso serosus, ut vulgo ex simili noxa, humor manat.« In casibus rarioribus encéphalitis, cystitis, phlebitis uterina, phlegmasia alba dolens cum febri puerperali se conjungunt; aliquoties inflammatio et suppuratio symphyseos ossium pubis et sacro iliaca complicita obvenit (1).

### §. 3.

Respectu characteris dynamici triplex febris puerperalis forma assignari debet. Erethica forma inter reliquas frequentissima; obvenit in individuis sensibilibus, rarius boeoticis contagii influxui subjectis. Magnam symptomatum variabilitatem atypicam remissionem et acerbationem affectionis topicae motuumque febrilium praese fert.

Fit inde, ut sub schémate aliis saepe morbi delitiscens medicum fallat, et nisi singularis aut potius specificae physiognomiae summe attentus sis cum febri lactea aut doloribus post partum secundariis commutes.

Orditur lassitudine, inquietudine, agilitate, nonnunquam delirio taciturno, aut singulari solum aegrarum loquacitate, physiognomia vel tristi et anxia, vel jocosa et

(1) Deneux, Procès verbal de la distribution des prix aux élèves sages femmes pour l'année 1826.

quasi ecstatica, cephalaea interdum vehementissima, visus auditusque hallucinationibus contemporaneis. Lingua adparet muco crasso obducta humida, aut praerubra est. Cutis alias profuse viscide madet, alias calor ejus acer, digitos urens, siccus tangitur.

Abdomen aut modice elevatum aut penitus retractum est, alias indolens, aut profunda solum ad regionem inguinalem contractio dolorem punctorium, acu quasi intusrusa provocatum, ciere valet; alias nec minimus ventris expansi attactus possibilis, dolorumque scindentium superficiatim ferocia immanis, nec tamen continuis nec in una peritonaei plaga constanter fixa, ad regionem ovariorum plerumque assignatur exordium.

Quodsi pulsu quidem duriusculo et febri et affectione topica inflammatorium characterem mentiente dubia diagnosi venaesectio instituitur, tunc vero morbi character statim patet; ictus enim arteriarum aut vix numerabiles, tremuli evadunt, aut celerrimi, contracti, alias mollissimi; aut in crescente reactione febrili eorum durities ad ultimum usque vitae momentum perseverat. Est vero detractus sanguis plerumque laete rubescens, cum crusta pleuritica tenui, in coagulum citius ruens, minus tamen firmum mox difflit et cum sero largo in laticem flavidο-viridescentem transit.

Hoc stadium per tres quatuorve horas plerumque indurat, alias cum exsudatione jam pari passu incedit, alias horripilationibus aut horrore saepius regrediente mox vehementissime conquassante, nonnunquam tamen prorsus deficiente in alterum vergens insignitur.

Secundum stadium exsudatione notatum est.

Exsudationem aut major virium arteriosarum mó-

mentanea reactio, aut systematis nervosi lapsus, aut utriusque simultaneus comitantur. Faciem hippocraticam induit aegra, increscit ad summum gradum anxietas, tristitia, aut morbosa illa hilaritas; increscent symptomata topica, imprimis dolor intensus scindens lacinans, rarius ardens; accedit vomituritio et vomitus materiae viridescentis aeruginosae, aut mere serosae, aquosae, insipidae, largissimae, ex dolio quasi ruentis; accedunt animi deliquium, singultus et respirandi difficultates; abdomen in volumen immane expanditur, sphaericum, tensum, superiorius meteoristice resonans, inferius fluctuans et dolorificum.

Mox nec stragula ab inquietissimis modo aegris ferruntur, mox subito ita conticet dolor, ut idem, quod nec minimum ante pauca momenta tulit ad tactum, individuum contractionem abdominis ferat rudissimam. Pulsus celestes, frequentes, inaequales sunt. Lotium nunc mittitur largius, turbidum mucoso aut puriforme sedimentosum.

Sub ulteriori decursu exsudatio, partim inter tubi intestinalis et uteri membranae mucosae strata, partim in cavum abdominis contingit.

Exsudatione exorta sphaera systematis nervosi gangliaris tantopere opprimitur, ut plexum gangliarium paralysis vix debellanda videatur.

Hoc stadium ad diem pluresve protrahitur sub exacerbatione vespertina sive quotidiana, sive tertiana, non nunquam de die duplicata, in multas saepe extenditur septimanas.

Stadium tertium adynamicum circa diem morbi quartam vel septimam plerumque intrat, exacerbatione febrili praegrediente, levi nocturno delirio, lingua et cute siccidente. Puerperae nunc singulariter indifferentes eva-

dunt, aut animo valde variabiles. Sic multae conscientiae et memoriae vigore illaeso, physiognomia truce, pavida, oculis languidis, sanguine suffusis, profundo livide halonatis, facie collapsa, lurida, per vices rubente, incalente, mox iterum pallida, frigescente, in lecto inquietae incumbunt. Labentibus enim plerumque versus diem 5—7 mam subito viribus accedit apathia, loquela debilis, balbutiens, sensuum hallucinationes, deliria jamjam diurna, temporanea, blanda, murmurantia; conscientiae rarius plenaria abolitio, dinos, capiplenum, baryecoia, erocidismus, muscarum captatio, subsultus tendinum; accedit abdominis minus dolentis meteorismus major; lactis ex uberibus flaccidis et lochiorum ex utero laxo fluxus planarie cessans; supervenit pulsuum demum summa frequentia, celeritas, debilitas, inaequalitas. In suris et antibrachiis lividis interdum petechiae comparent, serius nigricantes, dum cutem, siccum et prius quasi pergamentum macerat sudor universim modo frigidus, viscidus, cadaverosus. Ad genitalia saepe adparent ulcera ichorosa, nigricantia, gangraenosa foetidissima; lotium missum est turbidum, cum sedimento multo, puriformi, olidissimo, quasi putrido, cui non raro innatant flocci caseiformes; alvus ruit, alias pultacea, flava, alias fluidior, nigricans, intolerabili foetore cubilia inquinans.

Nonnullae aegrae his rerum sub angustiis mortem certa hora insequunturam rite praesagiunt.

Huc pertinent quoque febris puerperalis ex genio morborum regnante varietates: gastrica et biliosa, quarum quaevis majori in statum paralyticum vergendi propensione, praeter reliqua tam manifeste insignitur.

## FORMA INFLAMMATORIA.

Constitutione atmosphaerica et genio morborum inflammatoria observata est.

Haec morbi forma robusta plerumque individua invadit et luculentius stadiis certis absolvitur. Character ejus proprius confirmatur energica systematis irritabilis in primis sanguiferi reactione cum simultanea systematis nervosi passione, insigni quoque minus rapido decursu omniumque symptomatum constantia.

Haec morbi forma plerumque primaria ex inflammationibus ante aut sub partu in abdomine saevientibus sese evolvit.

**Stadium primum.**  
Horror plerumque intensus, aut sub partu, aut post eundem intrat, quem calor excipit siccus, universalis cum pulsu accelerato, pleno, duro. Eodem saepe momento persentiunt puerperae in aliqua abdominis plaga dolorem exiguum, punctorum aut ardentem.

Paulo post puerperae valde anxiae, inquietae, tristissimae fiunt, huc illucque in lecto se circumjactantes, difficilius respirium trahentes.

Calorem universim ad auctum siccum excipit modo sudor largus universalis, febrilem aestum quidquam levans, malum topicum vero nullatenus complacans. Id vero ex dolorum sede, eorum in et extensitate mox aemulatur peritonaeitidem veram, mox ovaritidem, mox metritidem; alias serosam enteritidem, splenitidem, hepatitidem, alias demum epiploitidem aut mesenteritidem.

Inde magna dolorum et symptomatum ominosorum varietas; qui sub enteritidis imagine incedit morbus ex

omnibus reliquis varietatibus gravaminibus suis semper molestissimus.

In hoc stadio plerumque lochiorum fluxus plane cessat. Cutis transpirationem plerumque siccitas intollerabilis excipit, urina mingitur parca, flammea alvusque opilata manet.

Pulsus inflammatorius, quippe fortis, plenus, magnus, durus aut contractus, parvus.

Sanguis e vena missus conspicitur profundius ruber, firmum crassamentum formans, crusta pleuritica largissime tectus, sero parcissimo.

Neuropathiam vero hujus stadii evincunt: nunquam desiderata physiognomia trux, oculus torvus, singularis illa immanis anxietas et inquietudo, vox et loquela quidquam alienata, nec non psychica actio turbata, facie multoties lurida, collabente, hippocratica. Raro contingit morbum in hoc stadio debellare, etsi per biduum triduumve in hoc perduraverit, frequentissime in alterum transit.

Stadium secundum. Imminutae nonnunquam adparent ad horas aliquas affectionis topicae molestiae, ast brevi horror intensus reddit, quem calor excipit internus, sudore modice et inaequaliter prorumpente raro levandus. Nunc sub dolorum summo augmento, nec minimus ad tactus abdominis expansi possibilis ardens in imo ventris flamma, tantoque saepe atrox evadit, ut immani anxietate et inquietudine puerperae circumjactitatae, materies sub nimio conamine et gemitu perpetuo alias viridescentes, aeruginosas, summe amaras, alias coffeaceas, foetidas vel sanguine dissoluto mixtas vomitu ejicient.

Puerperae functionibus cerebri illaesis dolorum atro-

cia ineffabili excruiciatae in internis quasi aduruntur, in extremis partibus lividis frigescunt; sudore fere cadaveroso largissimo tectae; pulsu admodum contracto, parvo, filiformi, inaequali, debili, velocissimo, qua signa topicae inflammationis in gangraenam transitionis.

### FORMA PUTRIDA.

Rarissime cernitur, tumque cum putrescentia uteri complicata, progeniem sistit sideris urentis, morborumque genii bilioso-typosi.

Plerumque valetudo in graviditate turbata erat; nixus praesentibus jam horroribus continuis et calore urente una cum physiognomia validopere alienata, in multos dies protrahitur. Effluit amnion aeruginosum et lassus uterus difficillimo conamine aut nonnisi artis auxilio in lucem edit infantem mortuum nonnunquam jam putridum, Sequitur modo febris intensior, evadunt aegrae anxiae tristissimae, facie lurida. Ex utero ruunt lochia largissima, dissoluta, cadaverosi foetoris. Stadium irritativum cum exsudativo uno ictu conjunctum intrat; sequitur dein stadium putridum seu colliquativum. Colliquationes adparent in omnibus fere secretoriis colatoriis. In cute livida sudore viscido madida petechiae dein prorumpunt nonnunquam. Evolvitur dein status paralyticus sub consueta symptomatum caterva, lapsu tamen cum insigni systematis irritabilis energiae pari passu incedens.

Sub colliquativa humorum jactura mors valde quieta scenam omnem excipit. Quae hoc detinentur morboe individua, minus robustis plerumque venoso-lymphaticis adnumeranda sunt; decurrit in iis morbus per 5 — 25 dies atque semper morte inevitabili finitur.

## §. 4.

## OBDUCTIO.

Cadavera febri puerperali defunctarum universim cito in putredinem inclinant, imprimis earum, quae putrida obeunt.

Genitalia externa plerumque foeda, liventia: excoriata, ulcerosa absque omni exanthematis praegressi vestigio. Mammae frequentissime flaccidae, lacte egenae, ductus lactiferi sero albescente infiltrati, lobuli glandulae lacteae plus minusve tumescentes.

Cavum cranii. Epidemia Vindobonae observata ad characteristicum morbi praegressi referebatur symptoma: novae quippe lamellae osseae in interna cranii facie ad os frontale et bregmaticum formatio.

Durae matris, plerumque incrassatae, vasa venosa semper sanguine atro rubro turgent, injectione arteriarum rarissima; extravasatum sanguinetum frequentius in illis obvenit, quibus mors apoplectica ultimum vitae impedit diem.

In cavo abdominis quoad peritonaeum exsudatumque in genere plures inveniuntur modificationes.

In febri puerperali erethica atque in inflammatoria, peritonaeum plerumque mox rosacee, mox magis profunde rubet, plerumque tamen in locis, quae cum exsudato, firmius intestinis adhaerente, in immediatum adtactum veniunt. Est vero haec vasorum injectio a sanguine venoso ex majoribus vasorum ramis in minimos distributa; plerumque ad regionem hypogastricam, rarius ultra restricta. Cernuntur dein plagae ampliae gangraenosae, ubi mors per gangraenam inducta est.

Exsudatum cavi abdominis duplex plerumque obvenit, alterum serosum, alterum plasticum, coagulatum, caseiforme vel puriforme (1).

Pars serosa, alias turbida, sero lactis simillima, valde foetida, alias rutilans magis puriformis, sat tamen fluida, vulneri illata semper paene phlebitidem dirissimam (2), textusque cellulosi sphacelosam degenerationem procreans, intermixtam sibique innatantem partem consistentiorem tenet. Est vero haec floccosa materia in coagula firmiora, magna, concreta (3), plerumque intestino colo adhaerens, aut e cavo pelveos, utero intus profundiusque presso, magna quantitate sursum emergens. Format plerumque pseudo-membranas ad multas lineas crassas, omnibus saepe cavi abdominis organis firmiter adhaerentes aut ponticulos spatia et intestinalorum tenuium inter gyros superstructos; alias velamenta circa hepar, lienem, uterumque cum adnexis ovarii incrassata, ex stratis saepe duplicibus constantia, novae generationis producta qua firma cernuntur involucra.

Morbo diutius protracto serosum saepe deficit exsudatum et plasticum modo unam massam firmiter coagulatam praesentat (4).

Singula organa abdominalia plerumque plus minusve irritata, vere inflammata, imo gangraenosa adparent.

In intestinalibus non raro ulcuscula exsudati stimulo nata adparent.

(1) Baudelocque l. c. p. 187. et sqq.

(2) John Clarke p. 102.

(3) Baudelocque l. c. p. 187.

(4) Idem l. c. p. 189.

Hepar plerumque grande, haud raro inflamatum et exsudato plastico obtectum, reperitur.

Sed accuratius paulo genitalia investigemus.

Uterus plerumque est mollis, relaxatus supra symphysin expansus, magnitudinem exaequans, tertio vel quarto graviditatis mense solemnem.

In febri inflammatoria et erethica, quae in stadio exsudativo puerperas sustulit, vasa arteriosa et venosa sanguine laete rubente turgent.

Nonnunquam uterus externe et in sua substantia ceterum illaesus ad regionem insertionis ligamentorum tum rotundorum tum latorum, aut massam in textu celluloso gelatinosam aut materiem puriformem sat densam in venis infiltratam, aut in abscessibus reconditam continet (1). In febri putrida plague amplae lividae, aut gangraenosae in externa uteri facie imprimis ad fundum palam fiunt.

Interna uteri facies raro normalis, plerumque discolor, viridescens exsudatum lymphaticum continet. Membrana mucosa in suis stratis plerumque alienata, emollita facileque secedens.

Ligamenta uterina alias normalia, alias livida, tubis Fallopianis incrassatis, pure repletis.

Ovaria plerumque (2), ast non semper morbose affecta; serosa involucra eorum, detracta pseudomembrana plastica exsudata, plus minusve rubent. Magnitudo eorum saepe supra gradum normalem aucta.

Massa eorum sanguine infiltrata, friabilis, gelatinosum plerumque exsudatum aut abscessulos continet.

(1) Baudelocque l. c. p. 193.

(2) Carus, medizinisch-chirurgische Zeitung. Salzburg 118.

Orificio uterinum et vagina excoriata, non raro partim gangraenosa (1), semper sanguine scatent. Cavum pectoris aut normale aut exsudato plastico repletum, pulmonibus cum pleura costali per pseudomembranas concretis, nec non cum mediastino, eandem membranarum serosarum degenerationem uti peritonaeum praesentat.

Vasa majora et venosa et arteriosa nonnunquam symptomata praegressae phlogoseos exhibit, sanguinem spissum, atrum continentia.

### §. 5.

#### AETIOLOGIA.

Sachtleben (2) accuratius sententias de natura atque causis febris puerperalis ab Hippocrate usque ad scriptores recentiores perlustrat.

Qua causa predisponens vita plastica nec non sensilitas in graviditate adacta praecipuam sibi postulat attentionem.

Haec exaltatio non in solis organis genitalibus sed per universum potius corpus obtinens post partum et lactis secretionem et lochiorum fluxu et transpiratione cutanea in statum normalem reducitur. Cuncta quae hos processus turbant, morbum ipsum facile carent. Sed ratio universae oeconomiae vitalis huic periodo tam peculiaris est, ut processibus paulo ante memoratis rite procedentibus nihilominus aliis causis morbus effici possit. Quas igitur singulas perscrutari conabor.

(1) Willis de febribus puerperalibus p. 289.

(2) Kritik der vorzüglichsten Hypothesen die Natur, Ursache und Heilung des Kindbettfiebers betreffend etc. von Dr. Dietr. Wilh. Sachtleben. Leipzig 1793.

Morbis chronicis sive in abdomen, sive in pectore, sive in cerebro obtinentibus febris puerparum sese adjungere amat.

Observationes ejusmodi memoratu dignissimas Bau-delocque affert (1).

Tum vero febris puerperalis minus periculosa facilius remediis adhibitis debellari videtur. Multi auctores, ut Doublet, Osiander, Hufeland, Busch, observarunt, partus faciliores et breviore tempore absolutos magis febri puerperali favere, quam difficiliores et arte perfectos. Cujus rei causam in eo invenire liceat, quod sensilitas a natura ad hunc finem accumulata partu justo leviore non satis consumatur. Vehementiores vero atque intensiores uteri contractiones non minus morbum lignere possunt.

Jam ad insultationes uteri mechanicas pervenimus. Usus instrumentorum, placenta manibus ruditer deprompta, praesertim si eodem tempore vagina aut uterus vulnerantur. Nec minoris momenti haberi debent laesiones abdominis externae, sive ictu, sive lapsu, sive fasciis strictius applicatis (2) effectae. Diaeta nimis irritans durante graviditate, aequa ac victus necessarius deficiens valde noxia fiunt.

Suppressionem lochiorum plurimi scriptores causam cardinalem febris puerperalis censem.

Lochiorum fluxus absque dubio a natura eo consilio institutus est, ut major in organis genitalibus vigor vitalis post partum sensim sensimque ad normam redeat. Qua

(1) I. c. p. 12.

(2) Peu Pratique des accouchements p. 526.

secretione suppressa, processus vitalis facile in alio quodam organo alacrius prorumpit atque in inflammationem tendit.

Saepe vero lochiorum suppressio peritonitidis exsudativa jam praesentis sequela haberi debet. Lactis porro suppressio, etsi medici eandem interdum nimii duxere, iisdem tamen rationibus ac lochiorum suppressio febrem puerperalem procreare valet; saepe enim occurrit, peritonitide exsudativa jam saeviente, lactis secretionem demum inchoare.

»Tamen haud infrequens est, Burserius ait, lactantes quoque febri puerperali interdum corripi et periclitari, quod non semel nobis videre contigit; imo lac quandoque copiosum, praesente hac febri in mammis secerni, eoque mammae ad postremum usque morbi stadium manifeste turgere.« (Institut. med. pract. p. 525.)

Veruntamen medici peritissimi observarunt, febrem puerperalem leviorem secretione lactis rite insequente nonnunquam tolli. Lactationem quoque noxiam fieri, imo peritonitidem exsudativam ciere posse exemplo demonstrat luculento Vandenzande (1). Puellae 22 annos natae valetudine satis robusta mammae brevi post partum lacte turgebant; quae igitur neonato primo die porrigeabantur. Insequente vero die mater sub lactatione doloribus in abdomen vehementibus corripiebatur, ut neonatum lacte amplius imbuere recusaret. Diaphoreticum lene in vehiculo mucilaginoso dabatur matri mammae prae-

(1) Considérations sur les maladies des femmes, connue sous les nom de péritonite et de fièvre peritonale. Antwerpen 1821. p. 54.

bere infantulo nihilominus jussae. Sed eodem die dolores admodum increcebant, febris intrabat fortis, fluxus lochiorum cessabat, mammae collapsae lacte privabantur; pulsus durus, contractus atque parvus evadet. Aegra sollemmodo dorso incumbere poterat. Quibus signis febris puerperalis satis manifestabatur. Ope calomelanos, unguenti cinerei atque laudani liquid. Sydenh. valetudo restituta est.

Similia exempla refert Baudelocque.

Obstructio alvi plerumque febri puerperali sporadicce grassante occurrit, et causa et effectus morbi esse potest. Causa nempe, dnm excrementa accumulata intestina irritant, effectus vero, dum peritonitide secretiones tubi intestinalis restringuntur. Excretio quoque urinae partu impedita, tensione abdominis peritonitidem afferre potest.

Retentionis ac putrescentiae placentae summum periculum afferentis Delamotte (1) casum insignem memorat. Ad puerperam febri vehementer laborantem arcessebatur. Abdomen expansum, durum adeoque dolorificum inveniebat, ut ne levissimum quidem obtegumentum toleraretur. Lochiorum fluxus e duobus diebus suppressus erat; cuius loco liquidum e fusco nigrum cute exhalabatur odoris foetidissimi.

Quamquam obstetrix fide firmaret, placentam in columen prodiisse, nihilominus, digito in orificium uteri internum illato, particulam placentae nec non parvula sanguinis coagula depromisit, quae omnia odorem intolerabilem spargebant.

Nocte insequente plures adhuc partes ejusdem in-

---

(1) *Traité des accouchements* p. 1176.

dolis sponte abierte ac matutino jam tempore symptomata omnia periculum minitantia evanuerant. Casum aequem memorabilem refert Harvey (1).

»Puerperae cuidam nobilissimae, febricitanti, quod lochia nulla profluerent, pudendi labia tumida erant et fervida; matricis ejus orificium durum et clausum instrumento ferreo immisso per vim aliquantulum aperui, ut injectionem per syphunculum admitteret, indeque grume-scens, ater foetidusque sanguis ad libras aliquot effluxit cum praesenti aegrae levamine.« Animi pathemata vehementiora, uti ira, terror, porro refrigerium non solum genitalium sed et totius corporis, aër denique impurus corruptus causae quoque frequentissimae sunt febris puerperalis et endemice et epidemice grassantis.

### §. 6.

#### PROGNOSIS.

In omni febri puerperali tum sporadica, tum epidemica, (de qua Willis monet »Febres acutae puerparum in mortem ut plurimum cedunt«), prognosis mala, ratio enim sanatarum ad mortuas sese habet in prima ut 1 : 3, in altera, ut 1 : 5 : 9, imo in epidemia, quae anno 1808 in nosocomio Parisiensi quod dicitur Hôtel de dieu, gras-sabatur e 39 aegris, 36 morte erectae sunt.

Faustior praedicanda, quae primarie ex turbatione quacunque puerperii prodit, illa, quae ex constitutione specifica atmosphaerae et singulari morborum genio generatur.

In constitutionis nervosae puerperis pessime morbus

---

(1) Exercitat. de generat. p. 523 et 24.

decurrit, melius in arteriosa; infaustius iterum in venoso-atrabiliaribus.

Meliorem agnoscit, quoad partum, prognosin morbus detinens puerperam, actu hoc gravi aut demum artificiali peracto; pejorem vero, ubi partus justo levior atque citior occurrit.

Febris puerperalis ante aut sub partu intrans perniciosa, quam si serius oritur.

Prognosis faustior in erethica et inflammatoria febri puerperali, pejor in erethica adynamica, pessima in putrida.

Ex singulis symptomatibus, physiognomia tristissima, lurida, collapsa aut nimis jocosa, hilaris, turgida, alias facies tumida, apathica, alias hippocratica; cutis flaccida, frigidiuscula, aut pergamenea, sicca, nimis calens, insignis inter affectionem topicam et febrem dysharmonia, coenaesthesiaeos dein specifica alienatio ea sunt, quae aegrae mortem certam faciunt. Malam insuper terminationem praedicant, magna symptomatum cephalicorum aut thoracicorum molesta syndrome. Diarrhoea effrenis, cutis marmori similis, status dein comatodes cum pulsu debili, celerrimo, frequentissimo, filiformi.

Faustam prognosin admittunt in genere minor epidemiae intensitas; prospera prius nec somaticis aerumnis, nec psychicis turbata valetudo; forma morbi erethica aut inflammatoria, minus rapidus ejus decursus, minor prodromorum cohors, minus alienata coenaesthesia, minor imprimis universim symptomatum nervosorum syndrome.

## §. 7.

## THERAPIA.

Partim ad prohylaxin partim ad curam ipsam respicere debet.

Primo respectu separantur omnes puerperae a gravidis, separantur dein omnes correptae, si fieri potest a reliquis aliis morbis laborantibus.

Munditie strenua, puritate, et aëris continua renovatione contagii in epidemiis evolutio prohibeatur.

Secessus gravidis destinati a refrigerio sint tuti, atque excretiones aegrarum illico habitaculis auferantur. Graviditatis ultimum momentum partusque periodus cautissime tractetur, omnesque in illo deviationes regimini medico et obstetricio subjiciantur; caveatur imprimis ab omni rudiore exploratione.

Attendatur praecipue, ne puerperii functiones ulla ratione turbentur, promoveantur uberior lactatio, lochiorum fluxus, cutanea dein transpiratio et alvina excretio. Impediatur, quantum fieri potest, refrigerium omne, diaeteticus error, omnis psychica alienatio, puerperis summe nociva.

Cura ipsa in genere haud fausto huicdum coronatur eventu. Morbo vero ignoto nulla alia ratione mederi possumus, nisi rationali indicationi suffulcita, et characteris et formae et stadii, in quo morbus versatur, nec non molestissimorum symptomatum respectu habito.

In stadio prodromorum affectionibus ut plurimum inflammatoriis, catarrhosis, rheumaticis, spasmodicis, quae magnam morbo exoriundo dispositionem fovent, modo methodus antiphlogistica rigorosa modo mitior, modo re-

media emollientia, evacuantia, modo diaphoretica, antispasmodica opponi debent.

In primo igitur stadio, ubi adfectio topica et reactio universalis sub charactere inflammatorio adparet, adparatus antiphlogisticus rigorosissimus adhiberi debet. Venae sectiones largissimae ad unc. X — XX. instituenda et re urgente bis terve de die repetendae sunt. Larga insuper hirudinum ab XV — XXX. vel curcubitarum cruentarum quantitas ad abdomen adfectum applicetur, et fluxus sanguinis cataplasmatum emollientium ope per horas plures sustentetur. Interne remedia, oleosa, involventia cum salibus neutris, fructus acido dulces, imprimis Manna. Egregium effectum nonnunquam habet tart. stibiat. r. d. cum remediiis involventibus, ubi simul ad dia-phoresin major adparet nisus.

Systematis nervosi abnormis irritatio partim alterantibus, ut tart. stibiat. r. f., partim narcoticis mitiganda est. Huc spectant Ext. Hyoscyam., Plv. hb. Belladonn. in vehiculis mucilaginosis nec non aqua laurocerasi. Systematis vero arteriosi et nervosi irritatio nullo modo, nisi balneis tepidis graduum 28 R. melius temperatur.

Ad exsudationem perniciosa praecavendam omnis opera dirigi debet. Hoc consilio glacies in- et externe a Stegmann et aliis laudatur, alii vero ab hoc remedio nullum viderunt fructum. A. Most summis effertur laudibus acid. Halleri, c. laud. liquid. Sydenh. forma guttarum certis intervallis adhibitis, praecedente universali sanguinis depletione.

Ab aliis Tartar. stibiat. et Ipecacuanh. laudantur, quorum virtus autem aliorum experientia non confirmatur.

Saepius rapida morbi evolutio, dum expostulat re-

media cito agentia, temporis exiguum morbi decursui destinatum spatium plerumque virtuti internorum medicamentum explicandae non sufficit. Hinc potius remedia externa ut cucurbitae cruentae, sinapismi aeerrimi, balnea tepida tentanda sunt. In febri puerperali crethica depletiones sanguinis locales et quidem iteratae, rarius universales aptae videntur. Malo topico inflammationem aemulante interne simul parcas mercuralium doses et externe fomentationes tepidas, inunctiones ung. ciner. et balnea administrare licet.

Ad excedentem systematis nervosi et arteriosi activitatem compescendam medici usi sunt:

1) emeticis, ut rad. Ipecacuanh. cum vel absq. tart. stibiat.

2) alterantibus narcoticō-acribus, ut r. Ipecac. e. hb. digit. in infuso fervido ex scrupulo binisve ad colat.

## IV — VI.

Urgente diarrhoea exhibeantur ut prius cochleatim omni hora, sed in connubio cum mucil. gi. arab. unc. β — I.

3) alterantibus in connubio mercuralium, ut Plv. r. Ipecac. gr.  $\frac{1}{2}$  — I. pro dosi cum Calomelan. gr.  $\frac{1}{4}$  — I. omni bihorio sumendis.

4) Belladonna largiori manu exhibita, ut ad gr. j $\beta$  — gr. jj. pro dos. omni hora vel bihorio in pulvere aequo vaniter laudatur.

Circa diem tertiam organa secretoria leniter aperienda sunt, ut facilius crises intrent. Hoc consilio tart. stibiat. r. d., diaphoretica leviora, Pulv.. Doweri non sine fructu porriguntur.

Oleum terebinthinae Anglis medicis panacea a Germanis medicis raro sine damno propinatum est.

Formae febris puerperalis adynamiae in stadio primo characterem inflammatorum induentes rigorosorem therapiam respuunt, potius alterantem solventem diaphoreticam poscunt.

Suppressio omnium se-ēt excretionum puerperis convenientium summa attentione digna est.

Diaphoresis potibus tepidulis largioribus, balneis; lactis fluxus suctione infantum robustorum aut extractione cucurbitarum siccarum aut vitrorum ope, applicatione fomentationum tepidularum augeatur. Lochiorum fluxui uberiori alliciendo fomenta ad genitata applicata, cucurbitae siccae ad femora, injectiones in uterus tepidae inserviunt.

Alvus enematibus emollientibus, oleosis, cum salibus mediis moveatur.

In stadio altero exsudatione facta therapia diversa esse debet.

Continuans ex stimulo exsudati phlogosis vehementior plerumque, illa, quae rarius stadium primum concomitatur, exsudatum largius producit, reactionem ciens plerunque cum lapsu systematis nervosi gungliaris intime copulata.

Tunc phlogosis mitiganda, exsudatio jam praesens auferenda atque vires sustentandae sunt.

Ad phlogosin frangendam plerumque depletiones sanguinis locales, regimen stricte antiphlogisticum, apparatus revulsorius, interne Calomel., Digital., Tart., emet. r. d. et externe inunctiones mercuriales largiores sufficient.

Exsudatum igitur excessu systematis irritabilis effectum iisdem solis remediis, quibus inflammatio extinguitur, ad resorptionem ducitur.

Ad irritationem systematis nervosi complacandam digit., aq. laurocer. hyoscyam. nec non Opium cum Calomelane conjunctum in usum trahitur.

Transitus vero in paralysin dynamicam, lapsusque virium vitalium remedia postulat excitantia. Quo in numero laudantur Arnica, Valeriana, Senega, Liq. cc. succ., Camphor., Moschus, externe balnea, vesicantia, linimenta volatilia.

In febri puerperali putrida in altero stadio omnis methodus excitans, antiseptica, tonica frustra plerumque tentatur.

Quodsi denique morbus stadio secundo diutius protrahitur indeque ascites purulentus restat, adparatu antiphlogistico seposito, remedia diuretica antiphlogistica adhibeantur, imprimis digital. c. Nitro, Cremor. tart., Tart. emet. r. f., cum kali acet., kali carbon., kermes cum digitali. Ad remedia externa spectant excellentissimum in his circumstantiis unguentum cinereum. Serius ad remedia diuretica acriora, uti squill., digital. largiori dosi, belladonnam, polyg. Senegae cum rad. Arnic. et praeparata Juniperina fiat transitus, dum externe administrantur balnea tepida, inunctiones mercuriales, inunctiones cum tinct. Canth. cum oleo Terebinthinae.

Pluries quoque, diuresi male procedente ex torpore et atonia in omnibus organismi functionibus conspicuo, ad remedia solventia amara confugiendum est in connubio cum diureticis jam memoratis; sunt vero: Chelidonium majus, Calam. aromat., trifol. fibrin., ononis et absynthium. Alias ad mere excitantia tonica, uti ad Caryophyllatum, Salicem et Corticem peruvianum cum Senega, Roob junipero, Squilla, Spiritu nitrico vel muriatico aethero junctos transeundum est.

## VITAE CURRICULUM.

**E**go Franziscus Gustavus Boisserée die xxvi. Novembris anni MDCCCX Coloniae Agrippinensis natus sum parentibus Guilelmo Boisserée et Josephae gente ab Uphoff, sola superstite. Religionem catholicam profiteor.

Gymnasium Coloniense catholicum ab a. MDCCXXII tusque ad xxx frequentavi. Maturitatis testimonio munus Universitatem Heidelbergensem petii, ubi a Prorectore Magnifico Ludovico Gmelin in numerum civium Academicorum receptus per duos annos versatus sum. Scholae quibus interfui hae sunt.

Generalis et specialis botanice apud doct. privatim docentem Dr. Bischoff.

Physice theoretica cum experimentis conjuncta apud clar. Profess. Munke.

Zoologia apud cl. Profess. Leuckard, chemia anorganica atque organica apud cl. Prof. Gmelin.

Anatomia et physiologia systematis nervosius nec non organorum ad sensus spectantium apud doctiss. privatim docentem Dr. Arnold.

Anatomia ac Physiologia; et formationis foetus humani historia apud praeclar. Prof. Tiedemann, Ophthalmiatria apud clar. Prof. Chelius. Pathologia specialis ac therapia apud cl. Puchelt.

Tunc valetudine adversa coactus patriam redii ibique per semestre commemoratus sum.

Dein Halam profectus a Profess. illust. Dzondi jam beato numero civium academicorum adscriptus sum.

Hisce scholis interfui, praelectionibus clariss. Prof. Krukenberg de morbis pulmonum, cordis atque cutis, nec non de morbis organorum gastricorum, atque sensuum; Prof. cl. Blasium disserentem de chirurgia, fasciis rite applicandis, de fracturis atque luxationibus nec non de aciurgia audivi.

Clinicum medicum practicum sub auspiciis illustriss. Prof. Krukenbergi florens per biennium frequentavi.

Clinicum chirurgicum moderatore Profess. clar. Blasio per annum.

Clinicum obstetricium, quod praecl. Profess. Niemeyer dirigit per semestre.

Postea almam litterarum sedem Berolinensem petii, ubi rector Magnificus Busch inter cives academicos me recepit. Per semestre clinicum chirurgicum Praesidis illust. Rust, clinicum ophthalmiatricum Professoris illust. Juengken, clinicum pro sanandis infantulis clariss.

Barez visitavi. Quibus viris illustrissimis et Professoribus et praceptoribus optime de me meritis gratias, quam maximas ago.

Tentamine vero et examine rigoroso rite absolutis, dissertatione thesibusque defensis, spero fore ut summi in medicina et chirurgia honores per Decanum maxime spectabilem in me conferantur.

## THESES.

1. Balnea maritima maxime nervorum robur restituunt.
2. Lithotritia interdum lithotomiae preferenda est.
3. Hydrops non est morbus sed morbi symptoma.
4. Febris intermittens est morbus nervosus.